

071

069

075

065

080

060

120

020

170

570

Ende

Anfang

60

nentem: Rex Accaron Duci caesareo salutem; Generatio canina
venit, gens contentiosa, contra quam per te et per alios defendas
tuam legem, indica idem urbibus aliis. Non solum autem hoc in
transmarinis partibus per columbas fit, sed etiam in Italia quando-
que factum fuisse legimus. Nam Decius Brutus adnexas pedibus
columbae epistolas obsidione Mutinensi in castra consulm misit,
unde proverbium ortum fuit illud: Quid vallum et vigilum obsidia,
atque etiam retia amne praetenta profuere Antonio, per coelum
eunte nuntio? Haec Vincentius in Spec. histor. Cap. 55. lib. 17.,
et capite praecedenti dicit: in Oriente columbae sunt nuntiorum
fungentes officio dominorum suorum sub alis, brevi spatio perlunge
deportant, maxime quando alii nuntii transire nequeunt. Ideo
Bartholomaeus de proprietatibus rerum Cap. de columbis idem
dicens infert, quod Orientales in Syria et Aegypto bellorum tempore
aëris itinera observant, et columbas volantes telis percutiunt, ne
patriam prodant. Unde etiam illa libidinosa Venus Peristeram
nympham per cupidinem iratam in columbam mutatam semper
secum retinuit, ut et socia libidinis esset, et nuntia ac bajula
litterarum amatoriarum. Sed et Machometus, propheta diabolicus,
columbam albam habuisse fertur domesticatam, quae ad eum ad-
volavit crebrius, et grana quaedam de auribus ejus tulit, eo ad
plebem sermocinante. Hoc plebs videns aestimabat esse spiritum
sanctum, suggesterentem verba, quae protulit. Et ipsa Semiramis
regina atrocissima, cum finis ejus advenisset, eam fabulantur in
columbam mutatam et avolasse in deorum consortium, ut habet
Diodorus L. III. C. ultimo Antiquarum historiarum.

(B) Talis columba non fuit illa, quae super Christum baptiza-
tum descendit, in qua Spiritus sanctus visus est; ut habetur
Matthaei 3. et Marci 1. et Luc. 3. et Joh. 1., sed erat columba
miraculosa, creata de novo, adeo verum animal, quam Deus crea-
vit sine ministerio aliarum columbarum, et peracto officio, ad
quod creata fuit, in praejacentem materiam redacta est.

In Oriente etiam ita domesticantur columbae, quod domino
earum emitte vocem volant de columbario, et dominum se-
quuntur per campos usque in civitatem vel villam, quam ingre-
ditur, et eo stante in foro submittunt se ante eum in terram, et
ibi eos vendit. An autem etiam ova earum arte excubari possint,
sicut ova gallinarum, non legi. Faciliter autem et multis modis

